

- 615
- Stabat pro templo Ezechias legemque *tenebat*,  
Commendatque uiris *patrii libamina ritus*,  
Ac clausas *moto reseruauit cardine ualuas*.  
Pontifices populi hic de *more piacula mactant*:  
Non desunt cytharę, *sonitu non tibia claro*,  
Quęque *aperit latum fundo tuba flexilis oram*      620  
*Cimbalaque et uariis resonabant organa kannis*.  
His *carmen patulo iuuenum chorus accinit ore*,  
Atque *iubet fieri populis hortamina circum*,  
Diuinum *ut reuocent precibus pia uota furorem*.
- 625
- Parte alia *Assyrium migrat captiuus in orbem*  
*Israel et patrii traducitur aeris exul*,  
Illorumque larem ignoti tenuere coloni,  
Qui male *commixtis tribuunt exordia sacris*,  
In terra qua cultus erat lectissimus olim.  
Sed ueterum peccata luit suaque Ossia uinctus.      630  
At pro rege pio Deus ipse accingitur armis  
Cęlestumque ruunt accensę in pręlia turmę.  
Res geritur Iude propria sine militis usu,  
Strata *uirum cęsis dum spectat corpora castris*,  
Sennacheris campo uix territus aufugit illo.      635  
Sacrilegi accedit scelus huc insigne Manassę.
- 640
- 28      Templa prophanantur rursus, peregrinus in aedem  
Ascitur cultus, natusque exempla secutus  
Non de *more patrum uetitis adolebat in aris*.  
Occasum populi cecinere oracula uatum.
- 645
- Interea exitium tenuit aduersaque fata  
Rex Iosias, ueterum nulli pietate secundus,  
Instauratque aedem collapsam ac diruta templa.  
Ecce autem sacris inuenta uolumina legis  
Vulgantur: metus attonitam mox permeat urbem.  
Consultis proceres referunt responsa; futurum  
Vrbis ut excidio gentis delicta luantur.  
Interea regis pietati parcitur, ire

---

**615–617** Stabat ... ualuas] II Par 29,1–3   **619–621** Non ... kannis] II Par 29,  
25–28   **622–624** His... furorem] II Par 30,6–9   **625–630** Parte ... uinctus] IV  
Rg 17,1–6   **631–635** At... illo] II Par 32,20–23   **636–639** Sacrilegi ... aris] II  
Par 33   **641–643** Interea ... templa] II Par 34,1–13   **644s** Ecce ... urbem] II  
Par 34,14   **646–649** Consultis... usum] II Par 34,22–28

Subtrahitur meritę populi breue tempus in usum.  
 Aegyptus iuxta pernix in bella ruebat, 650  
 Vrget, regi obstet, Iosias festinus; at illum  
 De subita raptum referebat cede satelles;  
 Quemque creat *populus*, pharao illum in *uincla* petiuit  
 Et secum *ducit*, solio pro fratre relinquit  
 Eliachim, *Ioachim* mutato nomine, regem. 655  
 Ille suis auxit sceleratus crimina patrum,  
 Atque ea maturę processit culpa ruine,  
 Assyriumque iugum expertus descivit et hostis  
 Vicini sensit prędas *pugnamque* rebellis,  
 Accumulat sceleri cui filius hęres auito. 660

Ecce Palestinis sonipes *persultat in aruis*  
 Assyrius, circumque obsessam permicat urbem  
 Miles et excusso perterret cuspide muros.  
 Tunc rex egreditur magna comitante caterua.  
*Stat paries* męstus tam grandi suplice, ceu qui 665  
 Iactet: “Et ipse *fui*, cui nunc fortuna repente  
*Succubuit*, secumque trahens iam deuehit Orco.”  
 Nil contra ille tamen cautes ceu dura mouetur.<sup>3</sup>  
 Protinus efferri thesauros pręcipit *inde*  
 Captiuumque agitur uulgus, longo ordine feruent: 670  
 Imperium inuitos Babilonem tendere cogit.  
 Sedechiam solio prefecit; sed mala uertit  
 Mens regem populis exemplum triste futurum,

28'

**650–652** Aegyptus...satelles] II Par 35,20–24 **653–655** Quemque...regem]  
 II Par 36,1–4 **656–660** Ille...auito] II Par 36,5–10 **661–672** Ecce...prę-  
 fecit] IV Rg 24,10–17 **672–677** sed...cathene] IV Rg 25,1–7

**665** *Stat*...668 mouetur] *e marg. pro versu deleto* Atque manus tendit supplex in uota tyranno **669** pręcipit *inde*] *suprascr. pro imperat illo*  
**671** cogit] *inter v. 671 et v. 672 auctor versum unum* (Aufert una dies longę [...]) *e margine posuit, sed postea delevit; idem versus eodem modo scriptus et postea expunctus post v. 692 et v. 693*

<sup>3</sup> Loco hujus et trium hunc praecedentium versuum, qui eadem prorsus manu additi sunt ex margine, scriptus erat in textu unicus, postea deletus, versus hic: *Atque manus tendit supplex in vota tyranno*. Ceterum verba illa *Stat paries moestus tam grandi supplice exprimunt elegantissimam poetae ideam*, quod nempe ipse paries, in quo depicta erat haec regis Ioachim historia, dolere videbatur, dum exhibet tam tristem illius regis casum.

- Captiuus coram iugulari pignora cernit.  
 Neue fore misero spectaclum letius ullum,  
 Sic fortuna uices mutauit, lumen utrumque  
 Eruitur, nectuntque manus post terga cathenę.
- Nec procul inuoluens flammam caligine fumus  
 Tollitur, increpitant dispersa incendia late,  
 Sublatasque faces iaculantur in aethera circum,  
 Obscuram uero per noctem urbs tota relucet.  
 Accensus media templi furit aestus in aede,  
 Saxa ruunt muri penitus compage soluta.  
 Inde ignis superans summam dominatur in *arcem*,  
 Comprehensoque cadunt subito regalia tecta.
- Tunc passim serpit uictor, longique laboris  
 Vna dies hauribat opus: carpenta uehuntur,  
 Aedibus huc educta honeratur *gaza* superbis.  
 Quod reliquum fuerat formę seu roboris urbi,  
 Nominis aut demum, captiuum ducitur, atque  
 Lictores procerum cedebant colla securi.  
 Exultat tota uictor tibi miles in urbe,  
 Aediderat longum quae tempus, diruta cernens.  
 Posthac longinquis regionibus exul agebat  
 A patria tellure procul coeloque sueto,  
 Atque una populus non amplius aede coibat.
- Post longum exilium tandem multosque labores  
 Iam fatis aderat *promissum* tempus, et orbi  
 Eripit Assyrii imperium, Mędosque subegit  
 Rex Persa ac solio trabeatus cernitur aureo.
- Affulsit miseris libertas; uisere terram  
 Antiquam patriumque solum permissa potestas,  
 Edictumque urbis tunc diruta tollere templa,  
 Et de regali suscepta pecunia censu.
- Alter tunc Iosue populum Babilone reuexit,  
 Ascriptique duces acies rexere; manipli  
 Incedunt campis raptim sua signa secuti,

29

**678–696** Nec ... coibat] IV Rg 25,8–21   **697–704** Post ... censu] II Par 36,  
 21–23; I Esr 1,1–4   **705–707** Alter...secuti] I Esr 2

**692** Exultat ... 693 cernens] *duo versus add. e marg.*   **699** Eripit] *e marg. pro*  
*abstulit* | Assyrii] Assyrio A

Et multum optata tandem consistere terra  
 Cernuntur. Medio tuba perstrepit agmine clangens,  
 Et ritu ueteri populus tentoria ponit, 710  
 Ac statuunt altare Deo. Tum protinus aedem  
 Vrgent instaurare; duces capita ardua iungunt  
 Zorobabel cętuque suo comitatus Iesus.  
 Crescit opus: feruent omnes instantque labori,  
 Et perfecta stetit recidiui fabrica templi. 715

Exciti Assyriam quo facto linquere certant,  
 Lęta manus tandem patrios inuisere fines.  
 Namque hominum coetus uenit alter, et altera castra;  
 Pręsident his, quid ius quid sit phas, unicus autor  
 Noscere et in populum documenta edicere legis 720  
 Dux Esdras, rerum cui facta est ampla potestas.  
 At quos certa fides iras auertere diuum,  
 Quęruntur, sic ritus auis a Mose uetusto,  
 Sic longa serie seruato more iubetur.  
 Adducti parent mandatis, deinde legebant 725  
 Expositos lebetes argenti aurique *talenta*.<sup>4</sup>  
 Quęsita multum tandem uersantur in urbe:  
 Hic poenę ratio turmis et foedus initum.<sup>5</sup>

Egregius iuuenis non defuit: aureus olli  
 Circundat humeros uirgato claus amictu, 730  
 Qui gestu facilis medio stans ordine pangit,  
 Quam partem muri proceres, quę moenia tollant.  
 Vna operi est intenta manus, tenet altera ferrum,  
 Obstrictamque leuat periniquo foenore plebem.  
 Hinc agitur census: congesta pecunia crescit. 735  
 Cogitur huc populus tota collectus ab urbe,

29'

708–715 Et ... templi] I Esr 3      716–721 Exciti ... potestas] I Esr 7  
 722–726 At ... talenta] I Esr 8      727s Quęsita ... initum] I Esr 10  
 729s Egregius ... amictu] II Esr 1,11      731s Qui ... tollant] II Esr 2,11–20  
 733 Vna ... ferrum] II Esr 4,10–12      734 Obstrictamque ... plebem] II Esr 5  
 735 Hinc...crescit] II Esr 7      736–738 Cogitur ... Mirantur] II Esr 8,1–3

729 defuit] *suprascr. pro* deerat

<sup>4</sup> Male corripit auctor secundam syllabam vocabuli *lebetes*.

<sup>5</sup> Male item produxit secundam vocis initum; et vide retro notam primam pag. 21.

- Intentique oculos legis præcepta docentem  
 Mirantur, iuxta iurati in uerba seorsum  
 Quisque suam latè in partem regionis abibat.  
 Rhachelides cum fratre sacram pulcherrimus urbem      740  
 Incoluit, circum diffusa est cetera plebes.
- Diuersa hinc series et rerum nascitur ordo,  
 Surgentesque noua cernunt de stirpe nepotes,  
 Atque uices regni uarias bellique tumultus.  
 Stat templi in medio fratris de cede cruentus,      745  
 Moxque luit poenas post impia facta Ioannes.  
 Præficitur Iadus, de more hunc infula uestit.  
 Exulat at frater, peregrino et seruit amori  
 Colle Garizeno ponens altare sacerdos,  
 Defunctoque puer patri succedit Onias.      750  
 Impune ciues, dum uitant Sabbathia, miles  
 Mactabat, secumque trahit Ptolomeus abactos.
- Affulsit tandem miseris spes unica: legem  
 Doctrinę querit captus Philadelphus amore.  
 Auctus honor populo mandante Nicanore crescit:      755  
 Certa fides tantum et studii meruere labores.  
 Heu quantum semper nocet imprudentia rebus!  
 Interitu gentis pene nam delirat auarus  
 Princeps, ni *iuuenis* iam cladi obsisteret acer.  
 Mirantur redditum, tunc omnis terra Iosippo      760  
 Procubuit, fratrumque legunt examen et actis  
 Germanum Hircano uictoria leta retundit.  
 Inde ferox saltus obsedit, sacra prophanat  
 Antiochus iuxta, totam uastarat et urbem.  
 Iussa refellebat sumptis Mathathias armis:      765  
 Crudescunt pugnę, stabant et prælia fratrum,  
 Optatumque diu celebrant per lumina festum.

30

**738–741** iuxta ... plebes] II Esr 10–11   **745–749** Stat ... sacerdos] *J. AJ* 11, 298–312   **750** Defunctoque ... Onias] *J. AJ* 11, 347, 2   **751s** Impune ... abactos] *J. AJ* 12, 2–7   **753s** Affulsit ... amore] *J. AJ* 12, 11   **755** Auctus...crescit] *J. AJ* 12, 98   **757–761** Heu ... Procubuit] *J. AJ* 12, 157–185   **762** Germanum ... retundit] *J. AJ* 12, 222   **763s** Inde ... urbem] I Mcc 1, 29–64   **765** Iussa...armis] I Mcc 2, 15–28   **766** Crudescunt ... fratrum] I Mcc 3, 25–26   **767** Optatumque...festum] I Mcc 4, 36–59

**758** nam] *suprascr. pro hoc*

- Sed non bella domi miseris, non extera desunt.  
 Marte uigil passim Iudas occurrit aperto,  
 Atque adeo sequit mors uultu accensa cadentis. 770  
 Fata ducis luxere diu, molemque subiuit  
 Ionatas rerum, quas impiger uehit armis,  
 Insidias donec fraudemque expertus iniquam  
 Vsque suos cęsos<sup>6</sup> iniectaue uincula sensit.
- Spem populi Simon moerentis sustinet; illum 775  
 Sed frangit pietas, iterumque eluditur astu.  
 Hic paries: “Ne crede fidem contemnere suetis.”<sup>7</sup>  
 Tandem *post hostes* externaque prēlia spectant  
 Ecce, scelus<sup>8</sup>, generum soceri de cęde madentem;  
 Heu uitę exitio est probitas obnoxia fraudi! 780  
 Illinc elapsus studio defenditur urbis  
 Hircanus: subito fortuna ut uertitur, hostem  
 Persequitur uindex patris iam sede recepta.  
 Matris uisa tamen pro muro flagra retardant.
- Et sic hortatu quamuis reuocantis in arma 785  
 Antiochi hic acies, admotaque machina, nec non  
 Apparent artes populi *nitentis ab* urbe,  
 Et mox sublatum percusso foedere *uallum*.
- Mutauit fortuna uices aurumque sepulcro 790  
 Eggeritur: passim fert circum signa *domando*  
 Finitimos, foelix res aequa et fortis *adauxit*,  
 Ac uastata solo Samaria cernitur omnis.  
 Ciuilis subito discordia miscuit urbem,  
 Saducea de parte stetit legesque refellit  
 Hircanus, Pharisēe, tuas: plebs dissona mussat. 795  
 Ponit Aristobolus capiti diadema cruentum,  
 Et scelere infoelix male regia sceptrā resumit.

30'

**768–770** Sed … cadentis] I Mcc 5–9,18    **771–774** Fata … sensit] I Mcc 10–12,50    **775–780** Spem…fraudi] I Mcc 13–16    **781–788** Illinc…uallum] J. AJ 13,228–248    **789–795** Mutauit … mussat] J. AJ 13,249–300  
**796s** Ponit … resumit] J. AJ 13,301–319

<sup>6</sup> Ita videtur legendum.

<sup>7</sup> Verba illa *ne crede etc* praferunt apophthegma inscriptum parieti, qui historiam Simonis Machabaei pictam repraesentat; et sensus est: *noli credere suetis contemnere datam fidem*

<sup>8</sup> Ita videtur legendum.